



Kanon And.

Gostomiani Soc. Jesu Coll. Inscriptio sepulchralis




Biblioteka Jagiellońska
stdr0002004

JNSCRIPTIO SEPVLCHRALIS

In Funere Illustriss^mi. & Excellentiss^mi.

PRINCIPIS

D. GEORGII

OSSOLINSKI,

DVCIS IN OSSOLIN,

Comitis de Tęczyn,

S. R. I. PRINCIPIS,

Supremi in Regno Poloniæ

CANCELLARII,

Lublinensis, Lubaczouiensis, Bohustauiensis, Brodnicensis, Rycensis, Derpensis, &c. &c.

GVBERNATORIS.

Inter lugubres apparatus

Oculis & Animis

Legentium & Lugentium

PROPOSITA

A Gostomiano Societatis JESV Collegio.

Sub Auspicijs Perillustris ac Magnifici Domini,

D. ADAMI GEORGII

DE OSSOLIN,

OSSOLINSKI,

Lublinensis CAPITANEI.

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Francisci Cæsarij, S. R. M. Typographi.

Mortis Decus publica Mæſtitia. *Titus Liuius.*
Res in exitu æſtimantur, & cùm abeunt ex oculis tunc videntur. *Fam. Strada Dec. 1.*

AD PERILLVSTREM AC MAGNIFICVM DOMINVM,

D. ADAMVM GEORGIVM DE OSSOLIN OSSOLINSKI,

GVBERNATOREM Lublinenſem.



Communis Patriæ comploratio, Tui, atq; adeò & noſtri doloris argumentum eſt, Illuſtriſſime Domine. Fatalis equidem neceſſitas, cùm & Regni annulum Supremo Cancellario, & Gentilitiam Securim Patruo Tuo excuſſiſſet, omnium animos vno impetu concuſſit. Illuſtris quà genere, quà virtute ASCIA, exoculatum monſtrum illud adeò non præſtrinxit, vt infamem etiam tot cladibus falcem, nobili ferro cominùs opponere auſa, Tanto demũ Principi, mortuale erexerit ſuggeſtum, ſimulque metam propoſuerit, ad quam omnium affectus & dolores collimarent. Nobis equidem debita in Heroëm hunc imperauit obſeruantia, vt ad communem luctum lugubri cum obſequio è viciniâ accederemus. Ita nimirum, vel poſt fata, efficacem Maximi nuper Oratoris Suadam experti ſumus, vt, cuius elogium orbis eſt, calamos quoq; noſtros in cultum & memoriam ſui animaret. OS certè illud & SOL Patriæ OSSOLINIVS iure ſuo exigebat; vt illi quidem Tullius noſter parentaret, à quo Ciuilis Eloquentiæ formam tranſſumpſerat; ab hoc verò vel poſt occaſum lucem & ſplendorem mutuaretur. Ac vtinam lætioris argumenti liberalitas tenuitati noſtræ conſuluiſſet! Nunc verò idem eloquentiæ leges, qui Sarmatiam confudit dolor: ita tamen, vt tumultuario operi, facilem apud Te Perilluſtr: Dñe aditum perſuaderet. Muti characteres PATRVVM TVVM loquuntur, cuius Nomen & cum parte Honoris, ad Te hereditario planè iure tranſierunt. Leges eum oculis, quem animo induiſti; Magnuſq; Maximi Patrui Nepos, ita in præclarè facta immigrabis, vt imiteris. Nos Sepulchralem hanc Inſcriptionem non tam prælo quàm Virtutibus Tanti Viri expreſſam, Tuo nomini & dolori deuouemus ac conſecramus.

Illuſtriſſimæ Celſitudini Tuæ

Deuinctiſſimum

Collegium Sandomirieñ. Societatis IESV.

DEO VIRTVTVM,
PRIMOGENITO MORTVORVM;

Nec non: Perenni Memoriæ
Sacrum fixumque
. Sta & persta Marmor.

GEORGIVS OSSOLINSKI,
DVX IN OSSOLIN, S.I. PRINCEPS
Antiquæ Nobilitatis nouos Titulos
Domi promeruit, foris accepit.
A Pontificia altero, altero ab Imperatoria maiestate donatus
Vtroque à Virtute.
Felix in quo ornando summi terrarum Principes decertarent!
VRBANVS VIII. FERDINANDVS III.
Duo Sacrorum Armorumq; Numina, geminos illi afflauêre Honores.
Peregrinos caue dixeris:
Hereditariâ Dignitatum in domo
Vel aduentitij Honores nomen mutant & cultum.
Nulla Gloriæ possesio extranea est Virtuti.
A prosapiæ vestustate eum frustra laudaueris
Cui generis antiquitate antiquior fuerit sua virtus.
Solum nascendi ordinem si excipias, maior suis Maioribus
Gloriâ, Opibus, Consilio, Eloquentiâ, rebus gestis.
Extraordinarius ad Principes Europæ Legatus
Extra fines Regni persæpè, nunquam vltra Decori limites processit.
Amor & Deliciæ Regnorum
Quò faciem non potuit, famam per ora hominum inuexit.
Angliâ, Italiâ, Germaniâ, Gallijs peragratis,
Amplitudinem Poloni nominis extendit intenditque.
Magnificentiâ supra alios non supra fortunam progressus
Pacatos triumphantis Romæ innouauit splendores.
In Vrbem Vrbium dominam plausu ciuium illatus,
Deuinctos Humanitate suâ animos in triumpho duxit.
Gentilitiæ illiûs ASCIÆ Fasces Romulus,
Numa Oleam, Cæsar Lauream, Consul submisit Secures.

Porrò quantas haberet ad Suadendum vires,
Forum Latij ipſo confeſſum eſt ſtupore!
Quum ad vicariam Numinis Poteſtatem, peroranti de genu
Arrectis Quiritibus, aurita aſſurrexit Roma.
Jnprincipe Orbis & Vrbis auditorio Polonum Cyneam audiri par erat.
Eximius plane à perſonâ ſuâ Orator
Quò plura in ſeſe Tullij decora colligeret
Orationis maieſtatem oris dignitate amplificauit;
Ad elegantiam eruditi moris natus factuſque
Aduerſa orbi noſtro præiudicia è iudicijs nationum expunxit;
Studiorum primordia Pultouiano auſpicatus in Collegio,
Currentem vltrò indolem, laudum calcaribus promouit,
Cauens vnicè: ne præpoſtero nomine & Numine
Nymphas inuocaret pro Muſis.
Tantâ iam inde ſuauitate Eloquij delibutus
Vt (è Socratis mente) ſacrificaſſe Gratijs Videri poſſet.
Probatâ primùm SIGISMVNDO III. indole,
Inter Ephebos Regij cubiculi aſſertus
Ad inania officiorum aucupia deſcendentes pleroſq;
E faſtigio altæ mentis (citra ſupercilium) deſpexit.
Jdem in lubrico aulæ nuſquam fallente veſtigio, diu (quod mirere) ſtetit.
Nihil per iram aut cupidinem ſolitus aggredi,
Grauitati ſuæ opinionem, dictis fidem emeruit.
Cùm omnia Aulici Myſteria, & numeros teneret;
Inimicas Virtutibus libenter ignorauit artes.
Secutus ad caſtra VLADISLAVM Principem.
Sub experientiſſimis Militiæ Magiſtris,
Armorum & gloriæ tirocinium poſuit in Moſchouia; Dum Sedes Moſchonitici Imperij oppugnaretur.
Vbi immiſtus oppugnantium ardori & machinis,
Ictum lapidis aduerſo pectore excepit.

Documento:

Polonis æquè, ac Spartanis pro muro pectus eſſe.
Et verò ad metas extremi diſcriminis propè accedens
Incertos Martis exitus certo obitu clauſiſſet;
Niſi, adiumento alibi, alibi ornamento futurum
Fortuna Patriæ, Ciuium commodis reſeruaſſet,
Expeditionem bellicam Legatio Anglica,
Hanc (Curialis Ærarij præfecturâ aucto reduce)
Florentina, Veneta, Imperialis conſecuta,
Romana, Omnes iure gloriæ anteiuit. Theſaurarius curiæ regni creatur.
Quondam ad regni Ordines honorariâ miſsione functus,
Animis Procerum flexanimâ ſubactis facundiâ,
Libera ſuffragia, Reginæ inclinabat Virtuti;

Tunc

nc potiſsimum SACRI IMPERII PRINCEPS, Legat Reip.
Cùm in animos Imperium: Principatum in Honores exerceret;
Quorum illud copiosè loquenti Sapientiæ, Hunc meritorum Præcellentiæ debuit.
Memorabili in Ducalem Pruſsiam excurſione,
Exploratâ Brandeburgici atque adſtrictâ Fide,
Regiomonti, Regiæ Auctoritatis Vices obiens
Illiûs arbitria in imperijs, iuſſa in Oraculis,
Deſideria in opere, Conſilia poſuit in euentis.
Ita ille Sceptri & Solij prælargus æſtimator
Maieſtatis nomen ſupra multorum conſuetudinem
Cùm pernôſſet penitiùs, generoſiùs tractauit.
Si Experientia poſcitur, Verſatiſsimus,
Si peritia iuris Patrij, Scientiſsimus;
Si negotia Dominantium paratiſsimus.
Ne quidem Valetudinis obiectu interualla ceſſandi quæſiuit!
Druſum diceres, lepidè dictitantem:
Sibi nec puero Vnquam, nec ſeni ferias obtigiſſe.

Ea propter

Nihil non eius meritis tribuendum rati Principes
(Cùm multa in vnum congeſsiſſent auctaria)
Sua in eo beneficia haud quaquam expauêre.
Niſi quòd & ipſe è Modeſtiæ præceptis
Nec vanè oſtentabat Principi obſequium,
Nec occaſiones præterijt obſequendi.
In Ratisbonenſibus Comitijs, Legatorum facilè princeps
Ab Imperij Septem-Viris VIR CONSILII conclamatus
A FERDINANDO ſui nominis III.
(Eloquentiæ officia titulorum beneficijs reponente)
Inter Sacri Imperij Principes adlectus eſt,
Nec importunus accerſendis nominibus nec impar oblatis.
Eòdem (*vt ſolitariæ non incedunt dignitates*)
Sandomirienſi Palatinatu ad ſe perlato
Quem abſens non quæreret, quæſitus peregrè eſt ab Honore.
Mens & Lingua Principis vt eſſet, CANCELLARII ex munere accepit.
Quò loci, extemporalis vt plurimum Orator
Meditatas aliorum diſceptationes vel æquauit vel Vicit.
In turbidis Comitiorum fluctibus
Malaciam ſæpè attulit, ſui vnico interuentu!
Diſerta cauſarum iurgia vel ideò reſcindens
Quòd nihil præter tempus rixæ lucrentur.
Spem & Metum, duo Conſultantium detrimenta,
Procul habuit à Conſilio BONÆ MENTIS.

Ad Vſum rerum quàm ad ſpeciem attentior
Illicò infectum reddidit, quidquid fieri non oportuit,
Tuta ambiguis, Vtilia arduis anteponens.
Semper conſulere ſolitus quid in rem ſit
Nunquam ad conſilia caſum admiſit, ne facti pœniteret.
An reſponſa meliùs ex longinquo dentur:
Diſputantibus Politicis, ille crebriùs è propinquo dedit.
Deliberandi capita proponentem audire, capi erat!
Difficillimas Reipub. controuerſias, mirâ facilitate expediens
Ne ſuo Agamemnon careret Neſtore, ſeipſum prouidit.
Gratiarum Priuilegijs annulum tam ſcitè apprimebat
Vt Nobilem Libertatis gemmam non premeret.
Pupillorum quiritationibus ex facili acclinis
Nemini Vnquam dicendæ cauſæ poteſtatem ademit.
In cognitionum copia, faſtidio inacceſſus
Integritatem iudicij, nullâ corruptione paſſus diminui
Medius partium, amicâ medij conſiſtebat Virtute.
Veritati amicior quàm reo ſupplici
Armatam Securi ſuâ Iuſtitiam intentabat;
Credo, ne alienis circumactus momentis, Liuianæ pateret Cenſuræ:
Apud quos gratia vim æqui habet, hominū non cauſarum toti ſunt.
Illo adminiſtro atque Interprete,
Belli ac Fœderum Sancita Iura,
Compoſitæ Seditiones, firmata Pax,
Leges Conditæ, Regum Connubia Procurata.
Arcanorum omnium conſcius & tranſactor
Illud fidei, hoc induſtriæ ſuæ obtinuerat Priuilegio.
Pacis quàm belli artibus clariorem quòd videas
Imputa fatis Patriæ: Remedia Sapientiæ præ armorum eligentis.
Æquè acies in campo inſtruere
Ac Sententias ordinare in Curia, Virorum eſt.
Præterquam quòd Salluſtij effato:
Admirabilius ingenij quàm Virium cenſu gloriam quæſiſſe.
Magnus vel ipſâ hoſtium confeſsione CANCELLARIVS,
Ad Zborouiam, bellicæ tempeſtati ſolerter obſecundans,
(Velis in omnem partem ex tempore obliquatis)
Periclitantem, duos inter ſcopulos, nauem Patriæ
(Ductu Serenantis omnia IOANNIS CASIMIRI)
Remis Conſiliorum impulit ad promontorium Bonæ Spei.
Tunc (ſi vnquam aliàs) Prudentiæ palmâ potitus
Infractâ barbarorum in manu laureâ
Tan-


Tantùm non hostilis Victoriæ Victor audijt,
Translato in rem, è sensu veterum testimonio:
Posse inermi Consilio armatam vim euerti aut auerti;
Aduersarijs eam ipsam admirantibus virtutem quam odissent.
Magnorum comitem inuidiam
Plerumque temperatâ morum comitate,
Interdum ipso Venerabilis Contemptu transmisit.
Parentibus (quia & Deo) deuinctissimus vel post fata,
Quò eos Amori suo superstites monstraret,
Excitatis dolenter Exequiarum PARENTALIBVS,
Matre ad augustius Monumentum translatâ,
Imitandam Pietatis metaphoram Posteris fecit!
Mox, in simili Virtutis allegoriâ persistens,
Maternis à Cineribus ad Sacros PII Martyris Cineres
Apparatissimâ deducendos pompâ progressus, Corpus S. Pij M. Ossolinum intulit.
Piè succollantibus, Diuo Indigeti, Liberis,
Eum ditionis paternæ Sacrario illatum
Suæ Suorumq; Clientelæ præfecit.
Nec propterea, quod Beatorum, Exuuias collegisset
Minùs in Miseros hospitalis exstitit:
Quippe in Solatia Calamitatis alienæ
Opportunum suâ in Vrbe molitus Prytanæum est; Clementouiæ Nosocomium
In quod, Vicatim conquisitos Egenorum cætus
(Nouam cælo deducturus Coloniam) introduxit,
Ac demum exceptos conuiuio, illatis à se epulis
Veste auroque donatos, reliquit inquilinos.
Vt qui iam Diuinæ libationi Mensas
CLEMENTOVIANA posuisset in Basilicâ
Idem ærumnosæ Mortalitati triclinia apponeret:
Non aliâ lauti luculentique hospitij mercede,
Quàm in ipsum rerum fontem fuisse Munificum!
Magnæ MATRIS Amores in morem sibi vt abirent
Longâ Salutandi precandique assuetudine peruicit.
Eius Sacram famem, pridianâ in se alens inediâ
Appensis è Votorum Conscientiâ donarijs
Veram Sarmatiæ propitiabat Fortunam;
Gnarus apprimè: Solum tutum honestumque esse
Ad ARAM PVBLICI PERFVGII receptum.
Illustribus alioqui prodigijs CLARVM MONTEM
Clariorem Auro argentoque reddidit suo:
Vbi & suæ fidei adhibens testes tabulas
MARIANÆ Beneficentiæ testimonia comprobauit.
Virtutem ex Patre, Verumque laborem edoctus,

Dum operoſa artificum fatigat ingenia,
Templum, peregrino ſtructum opere locauit dotauitque; Climuntouiæ.
Alibi prælo & Stylo: Suadæ, ac vultûs imaginem,
Hîc nobili cælaturâ, marmoribus & pectoribus inſculptam
Auitæ Religionis relinquens Ideam.
Poſtmodum, facturus operæ literariæ pretium de ſuo,
Iuuentutis, bono publico, formandæ percupidus
Simul deſideria in animum, ſimul manum in opus immiſit;
Dum BIDGOSTIANI fundamenta Collegij
(Architectante ASCIA) à Domo DEI exorſus
Aſpectabile magnorum Operum rudimentum inſtituit
Suæ & Noſtræ iam Fortunæ Faber.
Illic poſitus, vnde elargiri multa poſſet
(Nouo Largitionis inuento) Sacras Mendicantium familias
Ad inſignia ſui muneris, nec rogantes, admiſit.
Quando Sigilli maioris curam ad ſe duntaxat
Fructum ad alios quoque voluit pertinere.
Ratus: nullum impendij genus cælo fore acceptius,
Quàm quod DEO in ſuis Minimis egenti erogetur.
Sic & Honores in alimentum Gloriæ
Et fortunas in ſupellectilem Egeſtatis Vertit.
Quid multa? Supra Mortalium conditionem fortunatus,
Raro continuatæ Felicitatis exemplo
Regnatricis Domûs occupata ſemel iudicia
Pari Potentiæ ac Fauoris exitu
Ad ætatis propè flexum, indeflexo perduxit Vigore.
Fuerit alijs difficillimum, Mortem in Vita ordinare;
Noſter hic: Conſtitutâ prius affectuum Repub.
Curas omnes ad vnam Animæ contulit Oeconomiam.
Ipſâ Gloriæ Satietate, Aulæ frequentiam faſtidiens,
Eam ſubinde Aſceticâ Carmeli ſolitudine temperauit;
qui ſemper Patriæ & Ciuibus, interdum ſibi vacaret in receſſu:
Calculum cum regno & cælo ponere aſſuetus,
Dati, acceptique rationes, æternis expendit.
Per hebdomadæ Sacratioris lugubre Triduum
Intra diuini lateris prærupta quærendus
Quotannis, & ipſe euanuit ex oculis Domeſticorum;
Non ante emerſurus è latebrâ commentantis mæſtitiæ
Quàm triumphalem victoris Dei exaudîſſet Pæana. Vſque ad Sabbathi S lætum carmē delituit.
1 hoc VLADISLAO IV. Confatalis videri poterat
Quòd Poſteritati ſuæ ex ſe vno ſufficienter prouiſurus,
Pro Filio, Famam reliquerit victuram.
ceps S. Imperij, cum Regni Principe SIGISMVNDO
Pari fatorum coniunctione, eâdem die demeſſus in Auguſto

Pro Filio, Famam reliquerit victuram.
Princeps S. Imperij, cum Regni Principe SIGISMVNDO
Pari fatorum coniunctione, † eâdem die demessus in Augusto est. † 9. Augusti.
In procinctu votiui Itineris,
Inter desideria SANCTIORIS ANNI
Pænè in PORTA AVREA interceptus; Dum se ad Claromontanum & Romanum iter comparat.
Viæ ac Vitæ finem facturus Viator
In sinu Patriæ ægrè spirantis exspirauit.
Anno Viuentis DEI Hominis MDCL. V. Idus Augusti.
Ne tu Liuor Posthume
Manes & Vmbram S. I. Principis insectare,
Expensum in Publicæ rei commoda spiritum
Collige potiùs, & Disce:
SEPVLCRA PRINCIPVM SCHOLAM ESSE.

Perillustris ac Magnifice Domine,

Leges in hâc veluti tabulâ dolorem nostrum, quem tamen ita in chartam effudimus, vt maior sese teneat intra pectus. Ita nempe communis hæc lugendi necessitas vniuersos peruasit, vt absq; sui decremento singulorum animos occupârit. Et sanè ruina præalti fastigij etiam Sandomirianas concussit Musas: Tullium præsertim, qui parentalem OSSOLINIO *suo, iure debebat Eloquentiam, in quo vno qualem ipse votis duntaxat destinauerat Oratorem, approbauit. Quòd si:* Tunc veris lacrymis defletur clades publica, vbi cum domestico funere, iuncta est, *Vide Perillustr: Dñe an nõ Tuo potissimùm dolori* SEPVLCHRALEM *hanc* INSCRIPTIONEM *inscribere debuerimus. Eius quippe Magnis Cineribus Iusta persoluimus, apud quem Tu in nomen & affectus Filij immigraueras. Heredem Te ille Virtutum suarum bono publico reliquit: quas cùm in lugubri hâc paginâ leges, earum recordatione magnos ad summa quæque spiritus accipies, simul & dolorem temperabis.*




BIBLIOTH. UNIV.
JAGELLONICAE